

peratore aliquo, cui copias ad terrestre negocium comparatas crederemus: sed multorum famam secuti, quem demum consilio, strenuitate, non præferre (quia fieri non potuit) sed conferre tecum auderemus, erat nemo: absenti tibi ac gravi bello implicito, nostrarum copiarum imperium demandavimus, haud ignari, fore ut uno tempore, si is essem, quem omnes te prædicant, & nos futurum arbitramur, infestissimum nobis hostem non multo post dominum redderes, teque & tuos præsentis bello non solum liberares, sed injurias etiam omnes ab illo acceptas fortiter ulciscereris. Difficile est credere, quantam bene gerendæ rei spem ex eo conceperimus, quod te ad id bellum ducem naæti simus, qui non magis nostra quam tua causa sis omnia facturus; haud quidem parvi refert, mercede an odio aliquem oppugnes. Quod quum non magis nobis quam tibi opus sit re bene gesta, omnis nostra adhortatio supervacua visa est: verum ne nulla sit, petimus a te, ut strenue ac multa fide, velut belli socium & Imperatorem optimum decet, rem Venetam administres. Occasio omnium magnorum operum mater, quo loco, quove tempore, omnia dicas, faciasque, ipsa facile demonstrabit. Nos tibi militem interea, commeatum, ipsosque bellorum nervos, pecuniam affatim ministrabimus. Et, quod Veneto nomini tibique bonum fœlixque sit, accipe publica signa, quæ tuum comitentur imperium: tui vero milites illa, Deus optimus maximusque tua secundet gesta: ut non solum ea ad nos in columia, sed vicitria quoque viator referas. Receptis imperii signis, pauca ad ea quæ Princeps dixerat, Rubrius subjecit: spemque majoris animi, quam ullam magnificam de se prædicationem, relinques, cum omnibus copiis profectus est. Forliviensis Blundus Taurisium ait primo traductas copias, ratus videlicet tum urbem ipsam Veneti imperii fuisse. Quidam annales habent, in Patavini agri Taurisiniique confinium, alii, quibus magis accedo (nam ea quæ illi tradunt, omnia hostium tunc erant) ad Metam oppidum edictum fuisse militi ut conveniret. Hic recognito exercitu, constat, præter sociorum appendices, quatuor equitum millia ac quin-

Rubrius si-  
gna accipie  
a Venetis.

Ad Metam  
primo ca-  
strameta-  
tur.